



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Handleitung Zu leichterem Gebrauch Der Geist- und Sittlichen Unterrichten In Ewigen Wahrheiten

Calino, Cesare

Augspurg ; Graez, 1744

VD18 80280064

In Festo Immaculatæ Conceptionis Deiparæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49389](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49389)

I N D E X

IN FESTO IMMACULATÆ
CONCEPTIONIS DEIPARÆ.

1.

De qua natus est JESUS, Matth. 1.

Sicut summa Mariæ dignitas est, quòd in ea conceptus, & ex ea natus sit æternus Dei Filius, ita jucundissimum illi est, si veneremur devotè Immaculatam illius conceptionem, utpote quæ fuit primordium & fundamentum omnium ipsius excellentiarum, quibus supra omnes cæteras creaturas eminuit. Optimè verò colemus illam, si cor à peccato mundum servemus. *Mense XII. Disc. 361. pag. 456.*

2.

De qua natus est JESUS, Matth. 1.

Quantæ oportuit puritatis esse illam Virginem, ex qua nasciturus erat Sanctus Sanctorum, Filius Dei, Redemptor omnium, omnium debita soluturus? sine omni non actualis solùm; sed originalis etiam peccati macula fuit, & puritate tanta, cujus illustre meritum nobis quoque purificandis abunde sufficiat. Sufficiet abundantius, si ad impuritatis nostræ maculas extinguendas non tantùm necessa-

cessarium Orationis ac invocationis ejus medium applicuerimus, sed etiam fugerimus occasiones, ac sensus nostros custodierimus. *Mense V. Disc. 137. pag. 318. ad num. 5.*

3.

De qua natus est JEsus. Matth. 1.

Equidem Immaculatæ Virginis cultus perquam efficax est contra omnes libidinis insultus remedium; verum id fiet multo efficacius, si eum, qui ex ea natus est, JEsum frequentius consideravimus, tanquam Dominum nostrum, semper nobis præsentem; tanquam Judicem nostrorum operum; tanquam Redemptorem pro nobis crucifixum. *Mense V. Disc. 137. pag. 331. à num. 5. ad finem.*

4.

De qua natus est JEsus. Matth. 1.

Nemo est, qui non tenerrimè diligat Mariam, dum eam omnis maculæ expertem considerat: Multi sunt, qui cupiunt partem aliquam illius puritatis obtinere: utinam verò essent plures, qui curam seriam adhiberent ad eam imitandam! Verum, ut arbitror, impedit eos neglecta sensuum custodia. Discamus igitur visum, auditum, odoratum refranare, ne per eos à bono impediamur, aut ad malum impellamur. *Mense VIII. Disc. 237. pag. 388.*